



XLVIII

Congregatio generalis quadragesima octava habita est die 15 octobris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.250 Patres, nempe: 60 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 377 archiepiscopi, 1.636 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 59 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu mozarabico, ab exc.mo P. D. Anastasio Granados Garcia, aux. Toletano; alumni Pontificii Collegii Hispanici et Collegii Filiorum Cordis Immaculati Mariae cantus exsecuti sunt. Rev. Raymundus Platero, lingua latina, ritum illustravit.

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Extra omnes*; et exc.mus P. D. Eduardus Martinez Gonzáles, ep. Zamorensis, Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et communicavit duodecim poenitentiarios apostolicos, pluribus petentibus Patribus, adesse quotidie in Basilica S. Petri et praesto esse Patribus ab hora 8 ad horam 9,30 ad excipiendas confessiones.

Dein, annuntiata suffragatione facienda super emendationes de cap. III schematis *de sacra Liturgia*, quod inscribitur « De ceteris sacramentis et sacramentalibus », legit nomina eorum, qui super cap. III schematis *de Ecclesia* loqui petierant.

Exc.mus P. D. Paulus Hallinan, arch. Atlantensis, relationem super emendationes propositas circa cap. III schematis *de sacra Liturgia* legit.

Tunc ex ordine ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ioseph Siri, arch. Ianuensis, et Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis.

A secretario generali prima emendatio ad cap. III schematis *de sacra Liturgia* lecta est et beat.mus P. D. Paulus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, de cap. III schematis *de Ecclesia* locutus est.

Secretarius generalis legit secundam emendationem ad cap. III schematis *de sacra Liturgia*, et de cap. II schematis *de Ecclesia* exc.mi PP. DD. Narcissus Jubany, aux. Barcinonensis, et Thomas Cooray, arch. Colombensis, locuti sunt.

Lecta vero a secretario generali tertia emendatione ad cap. III schematis *de sacra Liturgia*, de cap. II schematis *de Ecclesia* locuti sunt exc.mi



PP. DD. Iesus Enciso, ep. Maioricensis, et Ioannes Gay, ep. Imae Teluris et Pointapitrensis.

Tandem secretarius generalis legit quartam emendationem ad cap. III schematis *de sacra Liturgia*, et exc.mus P. D. Aloisius Romoli, ep. Pisciensis, de cap. II schematis *de Ecclesia* locutus est.

Hora 11,46 moderator Patrum consensum petiit de fine imponendo disceptationi circa cap. II schematis *de Ecclesia*. Plusquam dimidia Patrum pars, surgendo, consensit et moderator communicavit die sequenti distributum iri quattuor propositiones circa praecipua argumenta cap. II *de Ecclesia*, subiciendas suffragationi sequenti feria V, ut commissio normas haberet ad caput emendandum.

Tunc secretarius generalis legit exitum suffragationis super tres priores emendationes ad cap. III *de sacra Liturgia*. Emendatio I: praesentes votantes 2.239; *placet* 2.224; *non placet* 12; vota nulla 3 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio II: praesentes votantes 2.159; *placet* 2.103; *non placet* 49; vota nulla 7 (quorum 3 *iuxta modum*). Emendatio III: praesentes votantes 2.100; *placet* 2.058; *non placet* 42. Ergo omnes tres emendationes approbatae sunt.

Ultimus de cap. II schematis *de Ecclesia* locutus est exc.mus P. D. Ioannes Mazur, aux. Lublinensis.

Em.mus moderator annuntiavit initium discussionis super cap. III *de Ecclesia*, in proxima congregatione die sequenti habenda.

Em.mus P. D. card. Michael Browne, qui relator fuerat, disceptationem clausit.

Hora 12,07 secretarius generalis proclamavit exitum quartae suffragationis: praesentes votantes 2.178; *placet* 2.143; *non placet* 35. Etiam quarta emendatio approbata est.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,10 finita est.

XLIX

Congregatio generalis quadragesima nona habita est die 16 octobris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.268 Patres, nempe: 62 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 383 archiepiscopi, 1.640 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Exc.mus P. D. Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, S. Missam celebravit, ritu copto-alexandrino, cuius Ordo antea Patribus distributus fuerat.